



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 5. Quale est peccatum mutare materiam vel formam?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Q. 5. Quale est peccatum mutare materiam vel formam?

Resp. I. Mutare alterutram substantialiter est mortale 1. Contra Religionem; nam est gravis irreverentia in Christum auctorem Sacramentorum, agendo contra ejus institutionem in re gravi, eamque pervertendo, nec ponendo omnia, quæ voluit poni ad gratiam efficiendam; estque ipso facto irrisio quædam rei maximè Sacræ. 2. Contra charitatem, voluntariè privando proximum gravi bono spirituali. 3. Contra justitiam: nam hoc ipso quòd quis ministrare vult, tacitè promitti & se obligat ad ministrandum sicuti res exigit, & in utilitatem suscipientis.

Resp. II. Est etiam mortale alterutram mutare accidentaliter, si mutatio sit notabilis & absque necessitate, ex Trid. sess. 7. can. 13. quia fieret contra præceptum Ecclesiæ, & usum ejus vim legis habentem, in re gravi ad Religionem pertinente. Unde Missale Romanum de defect. ait eum gravissimè peccaturum, qui aliquid formæ Eucharistiæ adderet, quod tamen significationem non mutaret. Imò etiam si mutatio sit in se levis, sed fiat ex contemptu, vel ex animo inducendi usum contrarium ritui Ecclesiæ, aut ex simili intentione Schismatica; nam tunc contemnitur Ecclesia, & Spiritus S. quo pregitur, & cujus instinctu res illas instituit. Item si fiat cum scandalo, aut periculo errandi circa substantialia. Ita passim

Doctores, qui addunt mutationem accidentalem, his seclusis posse esse venialem, ob levitatem materiæ.

Q. 6. *An licet aliquando uti materiâ, aut formâ dubiâ, vel probabili, tantum in Sacramentis?*

Resp. I. Extra necessitatem proximi tenemur semper sub mortali in iis, quæ pertinent ad efficaciam, vel valorem Sacramenti, sequi in praxi sententiam tutiorem probabilem, relicta opposita etiam probabiliore. Ita Suarez, & alii. quia alioqui exponeretur sine necessitate Sacramentum periculo nullitatis; nam valor & efficacia Sacramenti pendet à sola institutione Christi, & nullatenus ab opinione hominum quantumvis probabili, quæ immutare & supplere non potest id quod Christus voluit esse necessarium ad valorem & effectum Sacramenti. Nec ignorantia invincibilis, licet excuset à culpa, potest defectum rei ad valorem actûs requisitæ supplere. Ergo si opinio, etsi probabilior, falsa sit, ut potest esse & nî re ipsâ ponantur & adsint omnia, quæ Christus instituit ac exigit, Sacramentum erit invalidum & sine effectû. Quare qui utitur materiâ vel formâ non certâ, quando potest certam adhibere, peccat mortaliter. I. Contra Religionem, sine necessitate exponendo Sacramentum periculo nullitatis, & inefficaciæ: quod gravis est irreverentia in Christum
ejus